



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Coloniae Agrippinae, 1645**

Seculum quintum ab Anno 400. ad 500.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)



antiquis Bibliothecis, & aperte colligitur ex contextu  
ipsarum: per multas earum esse fragmenta homiliarum  
Chrysofomi in Matthæum, vel in Ioannem, vel in Acta  
Apostolorum, vel in epistolas Pauli: ut exempli gratia,  
homilia ad populum Antiochenum vicesima septima de-  
cerpta est partim ex homil. 10. partim ex 11. partim ex 12.  
in Acta, & homil. 60. & 61. ad populum decerptæ sunt ex  
hom. 83. in Matthæum, & 4. in Ioan. Sed hoc non mul-  
tum refert, cum sententiæ eiusdem auctoris sint.

*De Seueriano Gabalens. 398.*

**S**euarianus Episcopus Gabalensis, vir eloquentissimus  
dicitur fuisse: & Gennadius in libro de viris illustribus  
seribit se legisse huius Seueriani expositionem in Episto-  
lam ad Galatas, & alia quædam, addit etiam, illum sæ-  
pe inuitari solitum à S. Ioanne Chrysofomo, & ab Ar-  
chadio Imperatore ad sermones habendos in Ecclesia  
Constantinopolitana. Extat huius Seueriani sermo v-  
nus, in quinto tomo operum S. Ioan Chrysofomi. Hu-  
ius Seueriani editæ sunt nuper in Anglia græce homil. 6.  
in Exameron cum operibus S. Ioan. Chrysofomi, sunt et-  
iam inter decem homilias à Card. Sirlero editas sub no-  
mine sancti Ioan. Chrysofomi: sed eas Seueriani esse con-  
stat ex Theodoretò, & Damasceno, qui eas citant.

**Seculum quintum ab Anno**

400. ad 500.

*De sancto Augustino. 420.*

**S**anctus Augustinus Episcopus Hypponenfis florebat  
circa annū Dom. 420. cuius anni ipse meminit in epi-  
stola ad Isichium, quæ est octogesima. Obiit autem anno  
ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in eius vita,  
& à natali Dom. anno 433. ut Prosper testatur in chroni-  
co. Ac ut ex Catalogo librorum ipsius possit lector intel-  
ligere, quæ sint opera eius indubitata, adscribam locum



Retractionum, in quo ipsemet operis sui mentionem facit, vel adscribam Indic. quod significat, eum librum esse in indiculo Possidij, qui diligentissime in indiculum rededit omnes libros S. Augustini. Vbicunque igitur inuenitur notatus liber Retract. vel Indic. is liber sine dubio erit S. Augustini: vbi nihil erit annotatum, de eolibro dicemus in obseruatione, quam subiiciemus.

*Primi Tomi hac sunt.*

Retractionum libri 2.	Lib. 2. retract. cap. 67
Confessionum, 13.	2. retract. cap. 6
De Grammatica, 1.	1. retract. cap. 6
De Dialectica, 1.	1. retract. c. 6
Categoriæ decem, 1.	1. retract. c. 6
Principia Rhetorices, 1.	1. retract. c. 6
De Musica, 6.	1. retract. c. 11.
Contra Academicos, 3.	1. retract. 1
De ordine, 1.	1. retract. 3
De vita beata, 1.	2. retract. 2
Soliloquiorum, 2.	1. retract. 4
De Magistro, 1.	1. retract. 12
De immortalitate animæ, 1.	1. retract. 5
De quantitate animæ, 1.	1. retract. 8
De libero arbitrio, 3.	1. retract. 9
De vera Religione, 1.	1. retract. 5
De moribus Ecclesiæ, 1.	1. retract. 7
De moribus Monachorum, 1.	1. retract. 7
De Genesi contra Manichæos, 2.	1. retract. 10
Regulæ Monasticæ, 3.	
De vita Eremitica ad sororem, 1.	

*Obseruatio.*

In hoc tomo, vt notum est ex libris Retractionum, sola duo opera dubia esse possunt, Regulæ, & de vita Eremitica, quorum non fit mentio in lib. retract. Et quidē ex tribus regulis, sola tertia est certa Sancti Augustini, sed sœminis data, non viris; habetur enim in epistola 109.  
reli.



reliquæ duæ non videntur Augustini. Liber de vita Eremitica non potest esse Augustini, cum in eo nominentur SS. Patres, Benedictus, & Gregorius.

*Tomii secundi hæc sunt.*

Epistolæ S. Augustini cum iis, quæ ad ipsum scribuntur num. 222.

*Observatio.*

Ex his inveniuntur in Retractionibus septem.

Epistolæ duæ ad Ianuarium, id est, 118. & 119.	2. retract. 20
Epistola ad Deo gratias, 49.	2. retract. 32
Epistola ad Honoratum, 120.	2. retract. 36
Epistola ad Paulinum, 112.	2. retract. 41
Epistola ad Bonifacium, 50.	2. retract. 43
Epistola ad Dardanum, 57.	2. Retract. 49

Admonet tamen ipse idem in extremo lib. 2. Retractionum, à se epistolas, & sermones omnes, non fuisse in retractionibus comprehensos.

Epistolæ sexdecim Augustini ad Bonifacium, & Bonifacii ad Augustinum quæ interseruntur inter epistolam ad Honoratum de fuga in persecutione, & epistolam ad Ediciam de foro continentia, non videntur esse Augustini, sed brevissimæ sunt, & non multum refert cuius tandem sint.

Epistolæ Augustini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Augustinū, de obitu & miraculis sancti Hieronymi, falsæ sunt, ut notauimus supra in obseruatione ad Tomum nonum sancti Hieronymi.

*Tomii tertii hæc sunt.*

De doctrina Christiana, lib. 4.	2. retract. 4.
Locutionum sacræ Scripturæ, 7.	2. retract. 54
De fide, & Symbolo, 1.	1. retract. 17
Enchiridion, 1.	2. retract. 63
De Trinitate, 15.	2. retract. 15
De Genesi imperfectus, 1.	1. retract. 18

De Ge-



De Genesi ad litteram, 12.	2. retract. 24
De mirabilibus sacrae Scripturae, 3.	
De agone Christiano, 1.	2. retract. 3
De opere Monachorum, 1.	2. retract. 11
De spiritu & litera, 1.	2. retract. 37
De diuinatione daemorum, 1.	2. retract. 36
De Ecclesiasticis dogmatibus, 1.	
De Spiritu, & Anima, 1.	
De fide ad Petrum, 1.	
Speculum, 1.	Indic.
Quaestiuiculae de Trinitate, 1.	
De benedictionibus Patriarcharum, 1.	
Sententiae, 1.	

*Observatio.*

Liber de mirabilibus sacrae Scripturae non sine causa non inuenitur in retractationibus, neque in Indiculo Possidii, quoniam liber est indignus ingenio, & grauitate sancti Augustini, quem etiam non magni fecit, & S. Augustini esse negauit S. Thomas 3. p. qu. 43. art. 3. ad secundum.

Liber de Ecclesiasticis dogmatibus non uideretur esse sancti Augustini, cum praecipue constat sit ex sententiis Concilii Arausiaci, & summorum Pontificum Innocentii, Zozimi Caestini, & maxima ex parte ex operibus sancti Augustini: atqui Concilium Arausiacum, & epistolam Caestini scripta esse constat post obitum S. Augustini. Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Magnum tom. 3. epistolarum summorum Pontificum, citat de reliquiarum ueneratione cap. 73. libri de Ecclesiasticis dogmatibus, sub nomine Gennadii Massiliensis Episcopi. Algerus, qui floruit anno Dom. 1100. tribuit eundem librum Gennadio, scribens de corpore & sanguine Domini libr. 1. cap. 22. quod etiam facit Platina in uita Symmachi ubi dicit, tempore huius Pontificis scriptum fuisse a Gennadio Massiliensi librum de Ecclesiasticis dogmatibus.

Liber de spiritu, anima non est S. Augustini, sed alicuius



Uicinius multo recentioris, cum ca. 37. citet Boetium, qui fere centum annis fuit Augustino posterior, & ca. 48. multa proferat ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus: est tamen liber doctus, & pius.

Liber de fide ad Petrum, non videtur esse sancti Augustini, cum non fiat eius mentio nec in Retractationibus, nec in Indiculo. Tribuitur à multis sancto Fulgentio, tum quod Petrus quidam Diaconus eius amicissimus fuerit, & hic liber scribatur ad Petrum Diaconum: tum etiam quia stylus conformis sit stylo S. Fulgentii. Denique Bertramus presbyter, qui circa annum Dom. 850. scripsit de corpore & sanguine Christi, hunc librum sub nomine sancti Fulgentii citauit: & (quod maius est) in Brenario Romano recognito, in fectio sanctissimæ Trinitatis assignantur lectiones secundi nocturni ex lib. de fide ad Petrum sub nomine S. Fulgentii.

Liber, qui inscribitur; speculum, quamuis de eius auctore aliqui dubitauerint, vere sancti Augustini est: nam & habetur in Indiculo Possidii, & ipse idem Possidius in vita S. Augustini, tradit, hunc librum ab Augustino fuisse conscriptum.

Quæstiunculæ de Trinitate, videntur excerptæ ex libris Augustini de Trinitate, incertum à quo.

Liber de benedictionibus Patriarcharum similiter excerptus videtur ex quæstionibus Hebraicis S. Hieronymi. Vterque paruus libellus est, vt non multum referat, quis eorum sit auctor.

Sententiæ sine dubio Augustini sunt, sed collectæ à sancto Prospero, nec solum soluta oratione, sed etiam carmine descriptæ, vt in eius operibus videre licet.

*Tomi Quarti hæc sunt.*

De mendacio, lib. 1.	1. retract. 27
Contra mendacium, 1.	2. retract. 60
De fide, & operibus, 1.	2. retract. 38
Quæstionum in eptateuchum, 7.	2. retract. 55
Quæstionum Euangelicarum, 2.	2. retract. 12
Quæstionum ex Matthæo, 1.	Indic.
De consensu Euangelistarum, 4.	2. retract. 6
	Octo-



Octoginta trium quæstionum, 1.	1. retract. 26
Sententiarum viginti & vnus, 1.	
Quæstionum ad Simplicianum, 2.	2. retract. 1
Quæstionum ad Dulcitium, lib. 1.	2. retract. 63
Quæstionum sexaginta quinque.	
Quæstionum veteris & noui Testamenti.	
De cura pro mortuis, 1	2. retract. 64
De Catechizandis rudibus, 1.	2. retract. 14
De incarnatione Verbi, 2.	
De Trinitate & vnitate Dei, 1.	
De essentia diuinitatis, 1.	
De fide rerum inuisibilium, 1.	
De substantia dilectionis, 1.	
De continentia, 1.	Indicul.
De patientia, 1.	Indicul.
De bono viduitatis, 1.	Indicul.
De vera, & falsa pœnitentia, 1.	
De salutaribus documentis, 1.	
De amicitia, 1.	
De ferm. Domini in monte, 2.	1. retract. 19
Expositio inchoata in epist. ad Rom. 1.	retract. 25
Expositio quarundam propositionum epistolæ ad Romanos,	1. retract. 23
Expositio epistolæ ad Galatas,	1. retract. 24.
Annotationes in Iob.	1. retract. 13

*Observatio.*

Ex libris quos Augustinus pro suis agnoscit in Retractionibus, nemo iure dubitare potest, nisi forte de libro annotationum in Iob. Ipse enim Augustinus dicit, eum librum ita se deprauatum inuenisse vitio librariorum, vt vix audeat illum pro suo agnoscere.

Liber Sententiarum viginti vnus: & liber quæstionum sexaginta quinque non videntur esse S. Augustini, non solum quia non habentur in retractionibus, neque in Indiculo, sed etiam quia nihil habent graue, & dignum Augustino.

Liber quæstionum veteris & noui Testamenti, non est Au-



est Augustini, sed alicuius hæretici nam quæst. 2. dicit, Mundum factum fuisse propter diaboli præsumptionem, quæst. 13. dicit, paruulos filios, qui vna cum parentibus perierunt in subuersione Sodomæ, liberos esse a Gehenna: ac per hoc negat iste auctor peccatum originis, quæst. 21. dicit mulierem non esse creatam ad imaginem Dei quæst. 43. dicit, Iephte pullum habere testimonium iustitiæ: & tamen extat clarissime ad Hebr. 11. quæst. 80. dicit, homines non nasci filios diaboli, quæst. 109. dicit, Melchisedech esse Spiritum sanctum, & esse Sacerdotem, sed non summum, vt in oblatione, inquit, præsumunt Antistites Vbi reprehendit: canonem Missæ, vbi legitur, summus Sacerdos tuus Melchisedech.

Hunc locum videtur notare sanctus Hieronymus in epistola ad Euagrium, vbi dicit, auctorem cuiusdam operis, in quo asseritur, Melchisedech esse Spiritum sanctum, esse imperitum sermone, & scientia. Quæst. 44. dicit, ab excidio Hierusalem vsque ad sua tempora fluxisse annos trecentos: ex quo plane colligitur, hunc auctorem esse antiquiorem Augustino: nam anni trecenti ab excidio Hierusalem sunt anni trecenti, septuaginta tres à natiuitate Domini: eo autem tempore S. Augustinus erat adulescens annorum sexdecim. Obiit enim anno Dom. 433. cum esset ætatis annorum 76. vt supra diximus: proinde nasci debuit anno Dom. 357. ex quo vsque ad 373. sunt anni sexdecim, nec scribere cœpit libros Ecclesiasticos, nisi post baptismum quem suscepit post annum tricesimum: quis autem credatur fuisse auctor harum quæstionum diximus supra, dum S. Ambrosii libros recenseremus.

Libri de Incarnatione Verbi, De Trinitate, & vnitate Dei, De essentia diuinitatis, De fide rerum inuisibilium, De substantia dilectionis, non videntur esse S. Augustini cum non inueniantur in retractationibus, nec in Indiculo Possidii, qui diligentissimus fuit in libris Magistri sui colligendis, neque etiam sapiunt phrasim, & doctrinam S. Augustini.

Libri de continentia, De patientia, & de bono viduitatis, S. Augustini sunt, etiamsi Erasmus reclamet: nam inue-



inueniuntur in Indiculo Possidii, & citantur à venerabili Beda sub nomine S. Augustini in Commentario ad cap. 8. ad Rom. & in cap. 1. & 7. prioris ad Corinth. in cap. 4. ad Philip. & in ca. 5. 1. Timoth. & alibi : denique nulla est probabilis ratio in contrarium.

Liber de vera & falsa pœnitentiâ non est sancti Augustini: nam præterquam quod non sit eius mentio in retractationibus, nec in Indiculo, cap. 17. hic auctor adducit sententiam quandam S. Augustini, & ab ea dissentit.

Liber de salutaribus documentis, & liber de amicitia non videntur esse S. Augustini, tum quia eorum non facit mentionem Possidius in Indiculo, tum quia stylus humilior est, & oratio ipsa magis ieiuna, quam soleat S. Augustini: libri tamen pii sunt, & non inutiles.

*Tomi quinti sunt:*

Libri viginti duo de Ciuitate Dei, quos & sanctus Augustinus pro suis agnoscit in lib. 2. retract. cap. 43. & grande opus appellat, ut re vera est, & tempus etiam, & occasionem scribendi fuisse dicit, euerisionem Urbis Romæ, sub Alarico Rege Gothorum.

*Tomi sexti hæc sunt:*

De hæresibus ad Quod vult Deus, lib. 1.	Indic.
De quinque hæresibus Oratio.	Indic.
Concio ad Catechumenos.	Indic.
Oratio aduersus Iudæos.	Indic.
De altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ.	
De utilitate credendi, lib. 1.	1. retract. 14
Contra epistolam fundamenti. 1.	2. retract. 2
De duabus animabus contra Manichæos, 1.	1. retract. 15
Contra Fortunatum Manichæum, 1.	1. retract. 16
Contra Adimantum Manichæum, 1.	1. retract. 22
Contra Faustum Manichæum, 33.	2. retract. 7
De actis cum Felice Manichæo, 2.	2. retract. 8
Contra Secundinum Manichæum, 1.	2. retract. 10
De natura boni cont. Manichæos, 1.	2. retract. 9
De fide contra Manichæos, 1.	
Contra aduersarium legis, & Prophetarum, 2. 2. retract. 58	
	Contra



- Contra Priscillianistas, & Origenistas, 1. 2. retract. 44  
 Contra sermonem Arianorum, 1. 2. retract. 52  
 Contra Maximinum Episcopum Arianorum, 3. Indic.  
 Contra Felicianum Arianum, 1. Indic.  
 De bono coniugali contra Iovinianum, 1. 2. retract. 22  
 De sancta virginitate, 1. 2. retract. 23  
 De adulterinis coniugiis ad Pollentium, 2. 2. retract. 57  
 De Stoicis, & Epicureis tractatus, 1.  
 De eo quod dictum est, Ego sum, qui sum, tractat. 1.

*Observatio.*

Liber de hæresibus S. Augustini est, nam & est in Indiculo, & citatur à S. Gregorio lib. 6. epist. 179. Sed duæ postremæ hæreses Nestorii, & Eutychetis adiectæ sunt ab aliquo alio post obitum S. Augustini: ipse enim recentissimam esse scripsit hæresim Pelagianorum.

Libellus siue Oratio de quinque hæresibus quicquid Erasmus dicat, vere est S. Augustini, cum sit in Indiculo, & citetur à Beda in comment. ad cap. 1. ad Roman.

Idem iudicium esse debet de concione ad Catechumenos, & de Oratione aduers. Iudæos.

Liber de altercatione Ecclesiæ & Synagogæ non videtur Augustini, cum nec sit in retractationibus, nec in Indiculo, nec ab vlllo bono auctore testimonium habeat, neque phrasim sancti Augustini sapiat.

Liber de fide contra Manichæos, nõ videtur esse S. Augustini, quia non fit eius mentio in retractationibus, nec in Indiculo Possidii, & quia vtitur phrasibus insolitis Augustino, vt est illa cap. 18. si Deus incorruptibilis est, vel omnis natura summi boni inuiolabilis, immaculabilis, inadibilis, incoinquinabilis, &c. Alioqui liber est doctus & hominis in scriptis Manichæi versatissimi.

Libri tres contra Maximinum tametsi non habentur in libris Retractationum, tamen sine dubio S. Augustini sunt, quia habentur in Indiculo Possidii, & citantur à Beda in cap. 8. ad Roma. & in sexta Synodo generali Act. 4. ex epistola Agathonis Papæ.



Idem iudicium fieri debet de libro contra Felicianum etiam si Erasmus nolit, nam & habetur in Indiculo, & citatur à Beda in primum caput prioris ad Corinth.

Tractatus de Stoicis, & Epicureis, & tractatus in illud. Ego sum, qui sum, pulcherrimi sunt & Augustino dignissimi, & posterior citatur à Beda in 1. cap. prioris ad Corint. Neque mirum est, non haberi hos tractatus in retractationibus, aut in Indiculo: debuissent enim hi tractatus collocari in tomo 10. cum sermonibus, non in sexto cum libris: tractatus enim & sermones, siue homilias S. Augustinus testatur se non recognouisse, fortasse ob nimiam multitudinem, & varetatem. Possiditis quoque non singulos tractatus in indicem redegit.

*Tomus septimi hæc sunt.*

Psalmus contra partem Donati.	1. retract. 20
Contra epistol. Parmeniani, lib. 3	2. retract. 17
Contra literas Petilianus, 3	2. retract. 25
Contra Cresconium Grammaticum, 4	2. retract. 26
Contra epistolam Gaudentii, 2	2. retract. 9
De baptismo contra Donatistas, 7	2. retract. 18
De vnico Baptismo contra Petilianum, 1	2. retract. 34
De vnitae Ecclesie contra Petilianum, 1	Indic.
Opus breuiculi collationis contra Donatistas, 1	
2. retract. 39	
Post collationem contra Donatistas, lib. 1	
2. retract. 40	
Sermo super gestis cum Emerito.	Indic.
De gestis cum Emerito Donatista, 1	2. retract. 51
Contra Fulgentium Donatistam, 1	
De peccatorum meritis & remissione. 3	2. retract. 33
De natura, & gratia, 1	2. retract. 42
De Gratia Christi, & peccato originali, contra Pelagianos, 2	2. retract. 50
De nuptiis & concupiscentia, 2.	2. retract. 53
	Contra



Contra duas epist. Pelagianorum, 4	2. retract. 61
Contra Iulianum Pelagianum, 6	2. retract. 66
De anima, & eius origine, 4	2. retract. 56
De prædestinatione, & gratia, 1	
Prosperi, & Hilarii epistolæ ad Augustinum,	
De prædestinatione sanctorum & bono perseverantiæ, 2	
Indic.	
De prædestinatione Dei, 1	
De gratia, & libero arbitrio, 1	2. retract. 66
De correptione, & gratia, 1	2. retract. 67
Ad articulos sibi falso impositos, 1	
Hypognosticon contra Pelagianos, 6	
De perfectione iustitiæ contra Cælestinum, 1	Indic.
De gestis Pelagii, 1	2. retract. 47

*Observatio.*

Omissis libris, quorum mentio fit in retractationibus, vel in indiculo, de quibus dubitatio esse non potest, de reliquis dicemus.

Liber contra Fulgentium Donatistam, dialogus est, in quo primum introducuntur interlocutores, Donatista, & Catholicus, deinde Fulgentius, & Augustinus, & certe nihil est in hoc dialogo, unde probari possit, auctorem eius non esse Augustinum, nisi quod eius mentio non habetur in retractationibus, neque in Indiculo. Sed fieri potest, ut in tanto numero librorum, tum ipse Augustinus, tum Possidius unius libelli oblitus fuerit: si hoc non placet, non habeo quod dicam, nisi librum alicuius esse, qui Augustinum in dialogo loquentem introduxit, quo modo M. Tullius Lælium, & Catonem, Antonium, & Crassum in dialogis loquentes facit.

Liber de prædestinatione, & gratia, non videtur esse Augustini: nam discrepat à phrasi, & à doctrina Augustini: si quidem cap. 16. dicit hic auctor, hominem potuisse iuste à Deo damnari, etiamsi non peccasset. Contrarium docet S. Augustin. in epist. 105. & 106. & l. 2. de peccatorum



torum meritis, & remiss. cap. 16. & alibi: deinde nulla erat ratio cur hunc librum scriberet, qui tam copiose scripserat de prædestinatione sanctorum. Denique liber hic neque à Beda, neque ab alio veteri testimonium habet.

Libellus de prædestinatione Dei non est S. Augustini cum in extremo libro doceat, prædestinationem esse ex præuisione operum: quam sententiam vbique S. Augustinus oppugnat.

Responsio ad articulos sibi falso impositos, S. Prosperi est, & inter eius opera habetur.

Libri qui inscribuntur Hypognosticon, eruditi sunt, & vtiles, & vetusti auctoris, sed phrasim non habent Augustini, neque à Possidio, vel Beda, vel alio veteri citantur sub nomine Augustini.

Liber de perfectione iustitiæ, S. Augustini est: non enim solum est in Indiculo, sed etiam citatur sub nomine Augustini in libro contra Collatorem extremo à S. Prospero, & venerabili Beda passim.

Liber de gestis contra Pelagium non extat in tomis S. Augustini, sed eum addimus: quia nuper inuentus, & typis mandatus est.

*Tomii octauii hæc sunt.*

Tractatus in omnes Psalmos Dauidis: cuius operis mentio fit in Indiculo Possidii, & omnium consensu Augustini sunt illi tractatus: sed eos partim concionando in populis, partim dictando confecit, vt ipse testatur in præfatione Psalm. 118.

*Tomii nonii hæc sunt.*

In Euangelium S. Ioan. tractatus, 124.	<i>Indic.</i>
In Epist. primam Ioannis tract. 10	<i>Indic.</i>
In Apocalypsim Ioannis homil.	18
Meditationum liber 1. De diligendo Deo,	1
Soliloquiorum, 1. Manuale,	1
De triplici habitaculo, 1. De scala Paradisi,	1
De 12. gradibus abusionum,	1
	De cen-



De contritione cordis,	I
De cognitione veræ vitæ, I. De Speculo,	I
De vita Christiana, I. De Assumpt. B. Mariæ,	I
De disciplina Christiana, I.	Indic.
De decem chordis, I. Indic. De cantico nouo,	I
De contemptu Mundi, I. De vanitate seculi,	I
De obedientia, & humilitate,	I
De bono disciplinæ,	I
De visitatione infirmorum,	I
De consolatione mortuorum,	I
De quarta feria, I. De Cataclismo.	
De tempore barbarico. De sobrietate.	
Speculum peccatoris De pœnitentiæ medicina.	
De vtilitate pœnitentiæ.	
De conflictu virtutum & vitiorum.	
De quatuor virtutibus Charitatis.	
De laudibus charitatis.	
De honestate mulierum.	
De Pastoribus, & de ouibus, lib.	Indic.
De Symbolo fidei.	4
De conuenientia decem præceptorum, & decem pla-	Indic.
garum.	
De rectitudine Catholicæ conuersationis.	
De vtilitate ieiunii.	
De Urbis excidio.	
De creatione primi hominis.	
De arbore scientiæ boni, & mali.	
De pugna animæ.	
De Antichristo.	
Psalterium Matri suæ.	
Expositio super Magnificat.	

*Observatio I.*

Ex tot libris indubitati sunt, Expositio Euangelii, & Epistolæ S. Ioannis: de his enim nulla vnquam controversia fuit, & habentur in Indiculo Possidii.

Item liber de disciplina Christiana, & liber de decem chordis, & de vtilitate pœnitentiæ & de Pastoribus, & de



quibus, & de conueniētia decem præceptorum, & decem plagarum. Hi enim omnes sunt in Indiculo Possidii. His accedunt liber de quatuor virtutibus charitatis, quem citat Beda in cap. 13. prioris ad Corinth. & liber de Urbis excidio, quem citat Beda in cap. 10. prioris ad Corinth. & liber de pœnitentiæ medicina, quem etiam citat Beda non raro.

*Observatio. II.*

Manifeste supposititii hi sunt, liber de Speculo; nam ca. 3. citantur versus Boetii.

Liber de conflictu virtutum, & vitiorum qui tribui solet etiam S. Leoni: nam in extremo libro commendatur regula S. Benedicti, qui vtroque posterior fuit, & stylum habet omnino diuersum à stylo SS. Augustini, & Leonis.

Liber explicationis Apocalypsis, quoniam exponit caput 21. de statu præsentis Ecclesiæ, quod impudentiæ nimie esse dicit S. Augustinus libr. 20. de Ciuit. Dei cap. 17.

Liber de Antichristo, nam mentionem facit Imperii translati à Græcis ad Francos: quod contigit 400. annis post Augustini tempora.

*Observatio. III.*

De reliquis libris nihil certi habemus. Nam nec possumus certo astruere eos esse Augustini, cum diligentissimus collector Possidius eos præterierit, neque inueniamus à Beda citatos, qui ex operibus Augustini Commentaria in epistolas B. Pauli confecit: neque audeamus plerosque horum librorum, negare esse Augustini, cum pii sint, & docti, & Augustini ingenio non indigni.

*Tomii decimi hæc sunt.*

De verbis Domini homil.	64
De verbis Apostoli homil.	35
Liber quinquaginta homiliarum.	
De tempore homil.	256
De Sanctis homil.	51
Ad fra-	



Ad fratres in Eremo homil.

76

De communi vita Clericorum serm.

2

Sermones nuper excusi ex Carthusia Parisiensi.

Sermones noui, id est, recens iuuenti & excusi, num.

128

Homiliae, siue sermones de Verbis Domini, & de Verbis Apostoli, aut omnes, aut fere omnes S. August. sunt: multi enim habentur in Indiculo Possidii, & qui non habentur similes sunt aliis, siue grauitatem sententiarum, siue stylum, & verba consideres.

Liber quinquaginta homiliarum totus, aut fere totus Augustini est, eadem ratione.

De homiliis de tempore, & de Sanctis non eadem certitudo haberi potest: credibile tamen est, magna ex parte Augustini esse.

Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte conficti: dicit enim auctor illorum sermonum, Augustinum degisse in solitudine cum Monachis, ibique ad eos sermones istos habuisse. At constat ex Possidio in vita S. Augustini, Augustinum post baptismum Mediolani susceptum rediisse in Patriam, ad propriam domum, & agros, ibique tres annos cum paucis amicis suis in commune vixisse: deinde factum prebyterum Hipponensem monasterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse, non vtique in Eremo, sed intra urbem. Denique factum Episcopum cum clericis suis in domo Episcopali vitam communem egisse: de qua re extant duo sermones eius de communi vita clericorum, qui sunt inter sermones ad fratres in Eremo quinquagesimus secundus, & quinquagesimus tertius: qui duo sermones sine iudicio collocati inter sermones ad fratres de Eremo, arguunt reliquos fictitios esse: inde enim intelligi potest, S. Augustinum, monachum quidem fuisse, sed non in solitudine cum Eremitis, sed in ciuitate, & Episcopali domo cum clericis suis monasticam vitam duxisse. Adde quod inter sermones ad fratres in Eremo multi sunt leues, & fabulosi, vt est sermo vicestesimus quartus, in quo narratur, S. Hieronymum Cardina-



lem fuisse in Ecclesia S. Laurentii, & veste muliebri indurum irrisum à Romanis, quæ sunt omnia falsa & conficta. Adde denique quod phrasis horum sermonum, exceptis duobus de communi vita clericorum, qui vere sunt Augustini, est inepta, impropria, luttulenta, vt mirum sit potuisse eiusmodi sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui.

Sermones recens excusi, præsertim opera Louanien- sium Doctorum, sunt omnes Augustini: nam vel habentur in Indiculo, vel citantur à Beda, & sunt omnes graues & docti, & sancto Augustino (mea saltem opinione) dignissimi.

## De sancto Maximo. 420.

**S**ANCTUS Maximus Episcopus Taurinensis, floruit, & obiit sub Honorio, & Theodosio iuniore Imp. teste Gennadio in libro de viris illustribus. Extant huius Maximi homiliae Romæ editæ anno 1564.

De aduentu Domini.

In vigilia natalis Domini,

In natali Domini,

In circumcissione Domini,

In Theophania.

In Quadragesima,

In solemnitate Paschali,

In litaniis de ieiunio,

In solemnitate Pentecostes,

In natali sancti Stephani,

In natali sanctæ Agnetis,

In natiuitate sancti Ioannis Baptistæ,

In natali Apostolorum Petri, & Pauli,

In natali sancti Laurentii,

In natali sancti Eusebii Vercellensis,

In natali sancti Cypriani,

In feriis sancti Michaelis,

In natali SS. Martyrum Tauricorum,

In communi martyrum,

Item de expositione Symboli,

2  
1  
6  
1  
8  
17  
5  
1  
3  
1  
1  
3  
5  
3  
2  
2  
1  
1  
1

De non



De non metuendis carnalibus hostibus.	2
De auaritia vitanda,	2
De Eleemosynis largiendis,	2
De hospitalitate,	1
De defectu lunæ,	1
In dictum Isaïæ, Caupones tui miscent aquam vino.	

*Observatio.*

Diximus in Ambrosio multos sermones tribui simul, & sancto Ambrosio, & sancto Maximo, sed credibilius est, sancti Maximi esse illos etiam, qui tribuuntur Ambrosio. Gennadius enim enumerat fere omnes sermones sancti Maximi, & inter illos sunt aliqui, qui tribuuntur Ambrosio: quamuis non magnus sit error, cum vterque auctor sit doctus, antiquus, & Sanctus.

*De Ausonio Poeta. 420.*

Ausonius Poeta, sancti Maximi æqualis, scripsit multa prophana, scripsit etiam epistolas aliquas carmine ad sanctum Paulinum Nolanum: & extat sub eius nomine apud Paulinum precatio matutina ad Deum, & inter opera Ausonii egregium carmen de Resurrectione dominica, ex quo Christianus fuisse intelligitur, quamuis de Diis gentium nonnulla scripserit, more Poetarum.

*De Synesio Episcopo. 420.*

Sanctus Synesius Episcopus Ptolemaidis, vir fuit admirandæ sanctitatis, & doctrinæ floruit tempore Theodosii iunioris ad quem scripsit librum, ut Euagrius testatur libro 1. histor. cap. 15. scripsit etiam plurimas & elegantissimas epistolas. Extant etiam in 8. tomo Bibliothecæ SS. Patrum editionis secundæ Synesii hymni

decem, sed anno 1612. prodierunt

opera omnia Synesii  
Parisiis.



## De sancto Paulino Nolano. 420.

SANCTUS Paulinus Episcopus Nolanus æqualis fuit Ausonii, vel potius aliquanto iunior: notus fuit opinione sanctitatis Ambrosio, Martino, Hieronymo, Augustino, Sulpitio: obiit anno Domini 431. ex Cardinal. Baronio tom. 5. Annalium. Scripsit Epistolas elegantes, & pias.

Ad Sulpitium Seuerum.	14
Ad Delphinum Episcopum,	5
Ad Amandum Episcopum,	6
Ad Victricium, 2	3
Ad Aprum,	3
Ad Florentium,	1
Ad Alithium Episcopum,	1
Ad incertos de Gazophilatio,	1
Ad Desiderium, 1.	1
Ad Macharium,	1
Ad Pammachium, 1.	1
Ad Iouium,	1
Ad militem quendam,	1
Ad Sebastianum Eremitam,	1
Ad Augustinum, 3.	1
Ad Alipium,	1
Ad Romanianum,	1

*Scripsit etiam Poemata, qua sunt.*

Ad Iouium epistola carmine scripta.	
Ad Ausonium epistolæ quatuor carmine scriptæ.	
Ad Citherium de naufragio,	1
De natali Celsi pueri,	1
De natali sancti Felicis Nolani,	10
De reditu Nicætæ in Daciam,	1
Psalmi tres Davidis metricè decantati.	
Extant præterea in Bibliotheca SS. Patrum tomo 8, secundæ editionis.	

Libri sex de vita S. Martini carmine conscripti.

*Observatio I.*

Tribuitur à nonnullis sancto Paulino Nolano vita sancti Ambrosii, sed vita illa Paulini est, sed non huius Nolani, vt non solum stylus ipse diuersissimus docet, sed etiam



etiam quia ille Paulinus sancto Ambrosio, ut administer  
 assistebar, etiam tempore mortis eius: imo ut clericus sub  
 cura Casti diaconi, amanuensis fungebatur officio. ut ipse  
 indicat in vita beati Ambrosii. Sanctus autem Paulinus  
 nunquam astitit sancto Ambrosio, ut minister sed  
 multo ante mortem eius presbyter erat & a beato Ambrosio  
 in numero sacerdotum Ecclesie suae habebatur, ut ipse scribit  
 in epistola ad Alipium.

*Observatio II.*

Libri sex de Vita sancti Martini non possunt esse sancti  
 Paulini Nolani, auctor enim eorum librorum meminit  
 Paulini Nolani, & se eiusdem nominis esse restatur, & sextum  
 librum scribit ad Perperuum Episcopum Turonensem, qui sedit  
 sub anno 470.

*Observatio III.*

Porro inter opera sancti Paulini fertur etiam carmen  
 Eucharisticum de vita sua: sed non est eius, ille enim auctor  
 scribit res gestas suas usque ad annum vitae octogesimum  
 tertium. At S. Paulinus non excessit annum 78. ut ex  
 Cardin. Baronio constat. Denique tribuit Gennadius S. Paulino  
 librum de pœnitentia, & alium de laudibus Martyrum, qui non  
 extant.

*De Seuero Sulpitio. 420.*

Seuerus Sulpitius æqualis, & amicissimus fuit S. Paulini,  
 ut notum est ex epistolis inuicem scriptis.

Scripsit libros duos de sacra historia.

Item vitam sancti Martini Episcopi Turonensis.

Item dialogum de conuersatione Orientalium Monachorum,  
 in quo interlocutores sunt Gallus, & Postumianus: cuius  
 dialogi meminit S. Hieronymus lib. 11. in Ezechielem cap. 36.

Item epistolas multas, quarum meminit Gennadius in libro  
 de viris illustribus, qui etiam Gennadius addit, hunc Seuerum  
 in senectute a Pelagianis deceptum, agnouisse



uisse cito errorum suum, & silentium vsque ad mortem tenuisse, vt vitium loquacitatis taciturnitate deleteret.

*Observatio.*

Seueri Sulpitii libri de sacra historia, & dialogi de conuersatione Orientalium caute legendi sunt.

In libro primo de sacra historia dicit, filios Dei, qui filias hominum adamauerunt, fuisse Angelos: quod refertur à Chrysostomo in cap. 6. Genesis, & ab Augustino lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. & aliis probatis auctoribus. Dicit sacerdotes qui habent possessiones immemores esse præcepti dominici dati quondam Leuitis. At Leuitæ possessiones habebant, quin etiam oppida & suburbana eorum Leuit. 25. quare Hieremias ex genere Sacerdotum agrum vendidisse legitur Hierem. 32. & Barnabas Leuites agrum similiter quem possidebat, vendidit, Act. 4. Dicit præterea templum fundatum fuisse anno 588. ab egressu filiorum Israel de Ægypto. At scriptura 3. Reg. 6. notat annos 480.

In dialogo dicit, Ecclesiam auro non strui, sed destrui. Reprehendit Episcopos, qui Libros Origenis damnauerunt. Scribit coniugium ad veniam pertinere. Virginitatem ad gloriam, fornicationem ad pœnam. Dicit ex sententia sancti Martini Neronem simul cum Antichristo venturum, & Antichristum ex malo spiritu concipiendum. Denique notatur à sancto Hieronymo in cap. 36. Ezechielis erroris eorum, qui nouam Hierusalem auream, & gemmatam expectant.

*De sancto Luciano. 420.*

**S**ANCTUS Lucianus presbyter vixit tempore Honorii, & Theodosii iunioris Imp. scripsit librum de inuentione corporum sancti Stephani, & aliorum, quæ ipse diuina reuelatione inuenit: hic liber extat apud Lipomanum, & Surium die tertio Augusti. Eodem tempore scripti sunt libri duo de miraculis sancti Stephani ad Euodium Vzalem Episcopum: sed quia nomen auctoris ignoratur dicuntur libri Euodii.

*De*



*De Paula Orosio. 425.*

**P**Aulus Orosius presbyter Hispanus sancti Augustini discipulus, scripsit ad ipsum S. Augustinum libros septem historiarum ab orbe condito, in quibus potissimum clades Romanorum describit, quas dum Idola colerent acceperunt.

*De Sedulio. 430.*

**C**ælius Sedulius presbyter Scotus Theodosio iunioris scripsit explanationem in omnes epistolas sancti Pauli, ex Origene, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino excerptas: ex quo intelligimus errare illos, qui Sedulium floruisse scribunt tempore Constantii filii Constantini Magni & verius sentire Trithemium, qui ponit Sedulium anno Dom. 430.

Scripsit præterea Sedulius libros quinque carminum de quinq; mirabilibus operibus Dei: & hymnos duos de Christo, quorum alter alphabeticus est, & in Ecclesia canitur in festis natalis & Epiphaniæ: incipit autem, A solis ortus cardine.

*De sancto Cyrillo. 430.*

**S**anctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus vir sanctissimus, & doctissimus, ac præsertim circa mysterium Incarnationis Dominicæ à Deo doctus, imperante Theodosio iunioris præfuit Concilio Ephesino primo, nomine sancti Cælestini Papæ, Nestoriumque hæresiarcham primum scriptis egregiis, deinde etiam auctoritate damnavit. Eius opera in editione Parisiensi anni millesimi sexcentissimi quinti duobus tomis comprehenduntur.

*Tomus Primi.*

In Genesim ad literam, & mystice explanationum	
lib.	11
In Leviticum.	16
In Isaiam.	5
In Euan-	



In Euangelium sancti Ioannis. 12  
 Dicta veteris Testamenti anagogice explicata, collecta ex Cyrillo, Maximo, & aliis.  
 Liber aduersus Iudæos cum quæstionibus.  
 Breues anagogæ de iis, qui floruerunt ante legem.

## Tomi Secundi.

Epistolæ sancti Cyrilli ad diuersos, & diuersorum ad S. Cyrillum numero 39  
 Homiliæ præsertim de incarnatione. 10  
 Apologia ad Theodosium Imperatorem. 1  
 Declaratio duodecim anathematismorum. 1  
 Liber apologeticus pro suis anathematismis.  
 Alius apologeticus liber ad Euoprium pro iisdem capitibus contra Theodoretum.  
 Expositio Symboli Nicæni.  
 Scholia de Incarnatione Vnigeniti.  
 Epistolæ duæ ad Succensum Episcopum.  
 Synodales epistolæ duodecim.  
 Dogmata Nestorii ex ipsius libris excerpta.  
 Oratio de exitu animæ, & secundo aduentu.  
 Opus insigne, Thesaurus inscriptus, libros continens quatuordecim.  
 Dialogorum cum Hermia libri septem. 17  
 De adoratione in spiritu, & veritate libri. 10  
 Contra Iulianum apostatam. 3  
 De recta fide ad Theodosium, & Reginas. 1  
 Aduersus antropomorphitas. 1  
 De sacrosancta Trinitate. 1  
 Præter hos libros, extant commentaria in Prophetas minores Græce, & Latine excusa Ingolstadii in folio, & libri quinque contra Nestorium Græce, & Latine in fine primi tomi conciliorum generalium editionis Romanæ: & breui expectantur sermones paschales triginta.

## Observatio Prima.

Extare dicuntur græce explanationes in totum pentateuchum, sed latine non extant, nisi libri vndecim in Genesim.

Observa-



*Observatio Secunda.*

Libri sexdecim in Leuiticum Cyrilli non sunt, sed Origenis, vt supra diximus in Origene, & manifestum hoc est, tum quia auctor vbiq; sensum literalem destruit, tū quia habentur isti ipsi libri inter opera Origenis: vt mirū sit, cur Impressores in omnibus editionibus ista opera auctori non suo attribuant.

*Observatio Tertia.*

Scriptisse dicitur Cyrillus in alios etiam Prophetas, sed non extant commentaria eius, nisi in Isaiam, & Prophetas minores.

*Observatio Quarta.*

Scriptis Cyrillus libros duodecim in Ioannem, sed quatuor intermedii perierunt. Sed Iodocus Clitoveus ad imitationem Cyrilli addidit quatuor libros intermedios. Itaque Cyrilli non sunt, nisi primi quatuor, & quatuor postremi.

*Observatio Quinta.*

Liber aduersus Iudæos, & breues illæ anagoge, haud scio an Cyrilli sint. Sed res parui momenti est, cum sint libelli breuissimi, & leues.

*Observatio Sexta.*

Thesaurus creditur esse imperfectus: multa enim citantur a S. Thoma in opusculo de erroribus Græcorum ex Thesauro Cyrilli, quæ in his libris non inueniuntur.

*Observatio Septima.*

Liber de sacrosancta Trinitate non videtur esse Cyrilli sed alicuius posterioris. auctor enim copiose disputat de duabus naturis in Christo. & de duabus voluntatibus, & operationibus, & reddit rationem; cur non repugnent istis dogmatibus, qui aliquando dixerunt, in Christo esse operationem theandricam, & vnam verbī natu-



naturam esse incarnatam. Itaque videtur auctor scripsisse post sextam Synodum.

*De Theodoro Episcopo Cyria. 430.*

**T**heodoretus æqualis sancti Cyrilli, & aliquando etiam aduersarius, vt notum est ex concilio Ephesino. Quamuis autem Nestorio fauerit initio controuersia: tamen postea resipuit: & Nestorium inter hæreticos numerauit in lib. 4. de fabulis hæreticorū, & in Concilio Chalcedonensi admissus inter Catholicos fuit. Opera Theodoreti ex editione Colonienſi anni 1573. duobus tomis comprehensa, hæc sunt.

*Tomus Primi.*

De obscuris quæstionibus in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, & Iudices, accesserunt in librum Ruth, in libros Regum, & Paralipomenon.

Commentaria in omnes Psalmos Dauidis.

Commentaria in Cantica Canticorum Salomonis.

Commentaria in omnes Prophetas excepto Isaia.

Commentaria in Cantica Moſis, Annæ, Habachuc, Isaia, Ezechia, Trium puerorum, Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis.

*Tomus Secundi.*

Commentaria in omnes epistolas B. Pauli.

Historia Ecclesiastica à Constantino vsque ad Theodosium iuniorem libri quinque.

Addit Gennadius continuasse historiam vsque ad Leonem Imperatorem quinque aliis libris adiunctis sed hi posteriores libri non exant.

Dialogorum, libri tres.

De hæreticis fabulis, libri quatuor, quibus addidit epitomem diuinorum decretorum.

Historia sanctorum Patrum, quam religiosam vocat.

De prouidentia, sermones decem.

Decu.



De curandis Græcorum affectionibus, lib. 12.

Denique Epistola ad sanctum Leonem Papam, & altera ad Sixtum Presbyterum Romanum: & Oratio de dilectione valde insignis.

*Observatio.*

Multo plura scripsit Theodoretus, vir plane doctissimus, atque inter alia meminit Gennadius in libro de viris illustribus librorum Theodoretii fortissimorum contra Eutychem & Dioscorum. Scripsit etiam nonnulla contra sanctum Cyrillum, quæ extant inter opera sancti Cyrilli, sed in quinta Synodo Generali damnata sunt, vna cum scriptis Theodori Mopsuesteni, quem idem Theodoretus mirifice laudat libro quinto extremo suæ historiæ. extat denique in quinta Synodo Act. 5. epistola Theodoretii ad Ioannem Antiochenum de obitu Cyrilli: sed ea epistola, non solum falsitatis arguitur, quia constat Ioannem Antiochenum obiisse antè Cyrillum, sed etiam indigna est, quæ Theodoro, aut cuius Christiano attribuat.

*De Proclo Episcopo Constantinopolitano. 430.*

**P**ROCLUS Episcopus Constantinopolitanus sancti Cyrilli æqualis, cuius magno cum honore meminit idem sanctus Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, & in epistol. 31. ad Ioannem Antiochenum: scripsit epistolam valde celebrè de fide ad Armenos, quæ extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo 3. & nuper excusa est Græce & Latine, in primo tomo Conciliorum Generalium Romæ typis mandatorum, & fragmentum inde recitatur in quinta Synodo Generali Act. 5. scripsit etiam de traditione diuinæ liturgiæ. Vide de Proclo, quæ scribit Socrates lib. 7. cap. 40. 41. & 42.

*De Eusebio Emeseno. 430.*

**E**VLEBII Emeseni nomine circumferuntur homiliæ in Euangelia totius anni, & rursus homiliæ quinquaginta.



ginta variorum argumentorum disertissima. Eusebii Emeseni cuiusdam meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. quem dicit scripsisse plurimos libros, & vixisse tempore Constantii Imperatoris filii Constantini Magni. Sed illius opera non extant, ideo non posuimus eum suo loco. Hic autem vel est alius Eusebius Emesenus vndeunque hoc nomen acceperit, vel sub nomine suppositio homilia ista sunt edita, cum verus auctor ignoraretur. Neque videntur homilia illa breues in omnia Euangelia eiusdem esse auctoris cuius sunt quinquaginta homiliae de varris argumentis: stylus enim valde diuersus,

Illud certum est, auctorem quinquaginta homiliarum, fuisse Latinum, & Monachum in Monasterio Lirinensi: nam homilia quinta ad Monachos indicat, se fuisse Abbatem Monasterii in Insula constituti. Idem homilia de sancto Maximo, eam insulam Lirinensem vocat. Viderur etiam ex Abbate Lirinensi factus Episcopus, vt ipse subindicat in homilia de sancta Blandina. Disputat etiam contra Pelagianos in homilia de feria quinta in coena Domini, vnde manifestum est, eum non esse Eusebium Emesenum, qui floruit sub Constantio. Sunt qui has homilias tribuunt Eucherio Episcopo Lugdunensi, nec desunt qui auctorem nominent Caesarium Arelatensem, vidi vnam ex his homiliis praenotatam nomine Faustii Episcopi Regiensis: neque est improbabile, esse omnes eiusdem Faustii qui Abbas fuit Monasterii Lirinensis, & ex Abbate Episcopus creatus, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Non definitio, cuius sint, sed hoc loco placuit auctorem earum homiliarum, constituere, quoniam siue sit Eucherius, siue Faustus, siue etiam Caesarius ante hoc tempus non vixit.

*De sancto Eucherio Episcopo Lugdunensi. 440.*

**S**ANCTUS Eucherius Episcopus Lugdunensis vixit temporibus Theodosii Junioris, & Valentiniani: & sub Valen-



Valentiniano, & Martiano Imperatoribus obiit circa annum Domini 433. vt scribunt Gennadius de viris illustribus, & Ado. Viennensis in chronico. Existimat tamen Card. Baronius tomo 5. Annalium, hos auctores falli, & Eucherium vixisse vltra annum Domini 463. quia inuenitur Eucherii nomen in subscriptionibus Episcoporum Concilii Arausicani secundi, & Arelatensis tertii. Sed ego suspicor peruenisse etiam ad an. 499. nã in Vita sancti Cæsarii Episcopi Arelatensis dicitur Eucherius Episcopus Lugdunensis aliquando iter fecisse cum ipso Cæsario Arelatensi: Cæsarium autem fuisse in viuis tempore Symmachi Papæ, qui sedere cæpit anno. 499. aperte constat ex eadē vita sancti Cæsarii, apud Surium, die 27. Augusti: Itaq; vel oportet librum Gennadii esse corruptum, vel fuisse duos Eucherios Lugdunenses Episcopos.

Sed quicquid de hoc sit scripsit S. Eucherius varia opuscula, quæ Gennadius enumerat, nec satis noui an adhuc extant. Scripsit etiam teste Claudiano Episcopo Viennensi in libro de statu animæ, eloquentissimas conciones quæ fortasse sunt illæ, quæ sub nomine Eusebii Emeseni nunc extant. Tribuuntur Eucherio libri explanationum in Genesim, & in libros Regum. Sed Eucherii esse non possunt, cum auctor sæpe sanctum Gregorium citet, & ad finem expositionis libri primi Regum lectorem inuiter ad moralia S. Gregorii perlegenda: sanctus autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadius testatur, scripsisse Eucherium ad Salonium, & Vranium de obscuris sanctarum Scripturarum capitulis.

Porro auctor huius operis in Genesim, & in libros Regum videtur fuisse Anglus: nam in tertio libro Commentariorum in libros Regum cap. 22. sic loquitur, Nostri inquit, nuper temporibus sanctus Gregorius Papa Evangelicis roboratus eloquiis Romanam rexit Ecclesiam & Reuerendissimi Patres Augustinus, Paulus & alii socii eorum iubente illo venerunt in Britanniam, &c.



Atque ab hoc auctore multa, iisdem pene verbis descripsit Beda in suis quæstionibus super libros Regum.

*De Claudiano Episcopo Viennensi. 440.*

**C**laudianus Mamertus Presbyter Viennensis æqualis sancti Eucherii: scripsit in signe opus de statu animæ, in quo Eucherii mentionem facit, vt supra diximus. Habetur hoc opus tribus libris comprehensum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

*De Sidonio Apollinari. 440.*

**S**idonius Apollinaris vir nobilissimus eodem tempore floruit. Fuit autem Episcopus Aruernensis. Scripsit varia opera soluta oratione, & cærmine, vt Gennadius refert in libro de viris illustribus. Nunc extant libri epistolarum eius ad diuersos, & carmina eiusdem simul edita.

*De Ioanne Cassiano. 440.*

**I**oannes Cassianus sancti Ioannis Chrysostomi olim Diaconus, & postea ad Gallias accedens, ibique sedem figens apud Massiliam presbyter ordinatus, scripsit Latino idiomate.

De habitu Monachorum, & de canonico orationum  
& Psalmorum modo lib. 3

Institutionum, 1

De origine, & remedio octo principalium vitiorum, 8

Collationes Patrum, 24

De Incarnatione Verbi, 7

Et hoc opere expleto ad petitionem Leonis, postea summi Pontificis, finem viuendi fecit Theodosio iuniore, & Valentiniano regnantibus, vt testatur Gennadius in libro de viris Illustribus. Hæc omnia extant, & vtiliter legi possunt, excepta collatione tertia decima,

& paucis aliis, quæ in editi-

one Romana nota-

ta sunt.



*De Vincentio Liriensi. 440.*

**V**incentius Monasterii Liriensis presbyter æqualis Cassiani fuit, quippe qui paulo post Concilium Ephesinum se scripsisse testatur, id est, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit opusculum paruum mole, sed virtute maximum, de prophanis vocum nouitatibus. Libellus extat, & vtilissime legitur.

*De Socrate, & Sozomeno. 440.*

**S**ocrates & Sozomenus historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore in quo desinit historia Eusebii Cæsariensis, vsque ad tempora Theodosii iunioris. Eodem tempore vixerunt, & quod dolendum est, vterque Nouatianis erroribus fauisse dignoscitur.

*De Sixto Tertio. 440.*

**S**ixtus Tertius Papa sedit Romæ tempore Valentiniani Tertii Imperatoris. Scripsit insignem epistolam ad Iohannem Antiochenum: cuius fragmentum extat in libro Vincentii Lirinensis. Scripsit etiam alteram ad omnes Orientales, quæ extat in tomo primo Conciliorum. Extant etiam duæ in tertia parte Concilii Ephesini, editionis Romanæ. Extat præterea in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto secundæ editionis sub nomine Sixti tertii Pontificis liber de diuitiis: & alter de castitate, & epistola de malis doctoribus: quæ tria volumina falso ascribuntur Sixto Pontifici, cum sint plena erroribus Pelagianorum. Sixtus enim, cum adhuc presbiter esset primus damnauit Pelagium, vnde est epistola 105. Augustini ad Sixtum: ac deinde magno zelo Pelagianos insecutus est, vt testatur Prosper.

*De Isidoro Pelusiota. 440.*

**I**sidorus Pelusiota Monachus doctissimus floruit tempore Theodosii iunioris, ad quem extat eius epistola apud Cardin. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Domini 431. Scripsit epistolas plurimas, quas



Græce, & Latine impressas habes Parisiis opera Billii anno 1585.

*De sancto Petro Chrysologo. 440.*

**S**ANCTUS Petrus Chrysologus Episcopus Rauennas à Sixto Tertio Papa Episcopus creatus scripsit homilias 122. breues, sed disertas. Scripsit etiam insignem epistolam ad Eutychem hæresiarcham exhortans illum ad obedientiam sancto Leoni præstandam in materia fidei potissimum. Hortamur, inquit, te, vt iis, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem, habetur alia epistola inter epistolas, quæ præcedunt Chalcedonense Concilium.

*De sancto Leone Papa. 440.*

**S**ANCTUS Leo primus Papa, iure magnus appellatus sedit in Apostolica sede tempore Theodosii iunioris, Martiani, & Leonis Imperatorum ab anno Domini quadringentesimo quadragesimo vsque ad quadringentesimum sexagesimum primum, scripsit homilias eloquentissimas de præcipuis solemnitatibus Domini, & Sanctorum, necnon epistolas ad diuersos de rebus grauissimis numero nonaginta octo. Ex quibus illa ad Flavianum, quæ incipit, Lectis dilectionis tuæ literis: magna veneratione recepta fuit in Synodo Chalcedonensi Act. 4. ab omnibus, & singulis Patribus: & Gelasius Papa in decreto de libris Doctorum, dicit anathema iis qui Epistolam hanc sancti Leonis integram, & vsque ad vnum iota non recipiunt.

Tribui solet sancto Leoni liber de conflictu virtutum, & vitiorum. Sed ( vt supra in Augustino diximus ) S. Leonis is esse non potest, cum in eo fiat mentio regulæ S. Benedicti.



*De sancto Nilo. 445.*

**S**ANCTUS Nilus Constantinopolitanus Monachus, sancti Ioannis Chrysostomi discipulus vixit tēpore Theodosii iunioris, & multa scripsit de institutione Monachorum, vt refert Nicephorus libro histor. 14. cap. 53. Nunc extant in Bibliotheca SS. Patrum tomo quinto edit. 2. capita parænetica: item asceticus: item aduersus vitia: item de Oratione centum quadraginta octo capita. Extrat etiam separatim liber sancti Nili de Christiana philosophia, quo nomine Monasticen significat. Citantur etiam epistolæ Nili in septima Synodo, Act. 4. Sed loci quidam ab hæreticis deprauati esse dicuntur.

*De sancto Simeone Stylita. 445.*

**S**ANCTUS Simeon, cognomento Stylita, quia stetit in Scolumna annis 81. floruit tempore S. Leonis Papæ, & Leonis Imperatoris. Scripsit librum de morte assidue cogitanda, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum secundæ editionis tomo secundo. Idem scripsit epistolas pro Concilio Chalcedonensi quæ an extant ignoro: sed earum meminit Cardin. Baronius tomo quinto Annalium ad annum Dom. 458. Fuit etiam alius Simeon Stylita iunior, tempore Iustiniani Imp. cuius vna epistola recitatur actione quinta Concilii Nicæni secundi: de quo vide Euagrium lib. 6. historię cap. 22.

*De Hilario Arelatensi. 445.*

**H**ILARIUS Arelatensis episcopus vixit tempore sancti Leonis Papæ, ad quem scripsit heroico carmine historiam Geneleos vsque ad septimum caput. Scripsisse dicitur præterea epistolam vnā ad sanctum Augustinum scripsit libros de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ.

Sed ea epistola non videtur esse huius Hilarii, sed alicuius alterius: nam sanctus Prosper in epistola, quam



scripsit cum Hilario ad sanctum Augustinum de eadem re dicit, Hilarium Arelatenlem tunc fuisse Episcopum: & tamen iste Hilarius, qui scribit ad Augustinum significat se tunc fuisse laicum quod etiam confirmatur ex primo capite libri de prædestin. Sanctorum, vbi Augustinus vocat Filios Prosperum, & Hilarium: quod certe non faceret si hic Hilarius Episcopus Arelatenlis fuisset.

Scripsit denique vitam sancti Honorati decessoris sui, & aliqua alia breuia opuscula, teste Gennadio in libro de viris illustribus. Sed opera superiora scripsit ante Episcopatum: in Episcopatu enim ob nimiam superbiam reprehenditur à sancto Leone Papa in epistola ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos: Postea tamen resipuit, & multis virtutibus clarus sancto fine quieuit.

*De sancto Prospero Aquitano. 445.*

**S**ANCTUS Prosper Aquitanus Hilarii æqualis, & sancti Leonis quondam notarius, Episcopus fuit Rhegiensis in Italia, vel in Gallia. Scio passim existimari sanctum Prosperum fuisse Episcopum Rhegii in Æmia prouincia Italia: sed ego suspicor, Episcopum fuisse Rhegiensem in Prouincia Prouinciæ suffraganeum Archiepiscopi Aquensis: nam video sanctum Prosperum subscripsisse in Concilio Prouinciali Vasensi, & Carpentoratenli: quod argumentum est, illum fuisse Episcopum in prouincia Gallia. Præterea sancto Prospero successit in Episcopatu Faustus Rhegiensis: omnes autem Faustum, Episcopum Gallum faciunt, non Italum, ac dicunt metropolitano Aquensi subiectum, non Rauennatensi, cui subiectus est Episcopus Rhegii in Æmia. Sed quicquid de hac re sit (nihil enim definitio) sanctus Prosper multa præclare scripsit pro gratia Christi contra Pelagianos, seque S. Augustini discipulum, & defensorem acerrimum demonstrauit.

Scripsit libros tres de prædictionibus & promissionibus Dei.

De vi-



De vita contemplatiua alios tres.

De uocatione gentium duos.

De gratia & libero arbitrio ad Ruffinum.

Responsiones ad capitula obiectionum Gallicarum,  
Vincentianarum, & Genuensium.

De gratia Dei contra Collatorem,

I

Librum sententiarum S. Augustini,

I

Librum de prouidentia Dei.

I

Epistolam vnã ad S. Augustinum de prædestinatio-  
ne.

Commentaria in Psalmos à centesimo vsque ad cente-  
simum quinquagesimum.

Librum Epigrammatum, inter quæ est carmen contra  
ingratos.

Chronicum Eusebii & S. Hieronymi continuauit.

*Observatio.*

Gennadius in libro de uiris illustribus scribit, episto-  
lam illam celebrem sancti Leonis ad Flauianum contra  
Eutychem, existimari à sancto Prospero fuisse scriptam.  
At certe si vlla epistola sancti Leonis est, illa omnino est,  
siue stylum, siue doctrinam Leonis attendas.

Libri de uocatione gentium tribuuntur etiam S. Am-  
brosio, sed vere Prosperi sunt non Ambrosii, vt supra de-  
monstrauimus, cum de libris Ambrosii ageremus.

Liber de prouidentia Dei non videtur Prosperi sed ali-  
cuius ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt ap-  
pellati. Legat prudens lector, & iudicet.

*De Arnobio iuniore. 445.*

**A**RNOBIUS, non ille, qui scripsit contra gentes, & sub  
Diocletiano floruit sed alius iunior, qui paulo post  
sanctum Leonem Papam vixisse videtur; scripsit librum  
titulo Conflictus Catholici cum Serapione de Deo trino  
& vno. Item de duabus in Christo substantiis in vnitatem  
personæ: item de gratia, & liberi arbitrii concordia: qui li-  
bri editi sunt Colonia anno 1596. Neque est improbabile  
huius Arnobii iunioris esse Commentarios in Psalmos,



mos, qui sub Arnobii nomine circumferuntur: de quibus vide quæ diximus supra in Arnobio.

*De Theodoro Prasbytero in Raytu. 460.*

**T**heodorus presbyter in monasterio Raytu, scripsit quindecim libros de Incarnatione Domini: nunc extat Commentarium de Incarnatione Domini contra Nestorium, & Eutychetem in Bibliotheca SS. Patrum tomo 1. edit. 2.

*De Saluiano Episcopo Massiliensi. 460.*

**S**aluianus presbyter, ac postea Episcopus Massiliensis sæqualis fuit S. Eucherii Lugdunensis, quippe, qui filiorum Eucherii, (habuit enim Eucherius ex legitimo coniugio ante Sacerdotium duos filios, qui ipsi quoque Episcopi fuerunt) Veranii, & Salonii Episcoporum magister fuit, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Porro Saluianus plurima opera scripsisse fertur, sed nunc extant solum, quod ego sciam, libri octo de Providentia, & iudicio Dei, & libri quatuor de Ecclesia sub nomine Timothei, in quibus ita exaggerat vitia Christianorum, & maxime clericorum sui temporis, ut nimis videri posset, nisi ex vero zelo gloriæ Dei, & salutis animarum Oratio eius proficisceretur.

*De Salonio Episcopo. 470.*

**S**alonius S. Eucherii filius, & Saluiani discipulus, scripsit in prouerbia, & Ecclesiasten Salomonis dialogum qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. editionis secundæ. An Episcopus fuerit Viennensis nec ne, disputat Cardin. Baronius tomo 6. Annalium ad annum Dom. 441.

*De Fausto Regiensi 480.*

**F**austus ex Monacho Lirinensi factus Episcopus Regiensis in Gallia, vixit medio tempore inter sanctum Prospe-



Prosperum, & sanctum Fulgentium: scripsit de Spiritu sancto, & contra Arianos, & Macedonianos, quæ non extat: scripsit præterea libros duos de gratia, & libero arbitrio: qui extant, & quos Gennadius in libro de viris illustribus miris laudibus effert: sed Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis omnino reiicit: vt etiam reiiciunt, & refellunt sanctus Fulgentius, Petrus Diaconus, Alcimus Auitus, & alii. Ado Viennensis in chronico ad annum 492. sic loquitur, Faustus ex Abbate Monasterii Lirinensis apud Regium Gallia Episcopus factus, Pelagianorum dogma destruere conatus, in errorem labitur: vnde qui eius sensus in hac parte Catholicos prædicant, sicut Gennadius de viris illustribus scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus, quam cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, vt illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, per Christum, & in Christo sit. Faustus vero iste ira liberum Christianorum arbitrium docere conatur, vt illuminatio, virtus, & salus non à Christo, sed à natura sit, contra hunc scribit Beatissimus Auitus Viennensis Episcopus lucidissima fide, eius redarguens errorem. Similiter & Ioannes vir eruditissimus Antiochenus presbyter.

Isidorus de viris illustribus in Fulgentio, dicit à Fulgentio scriptos libros septem contra Faustum, qui mira caliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus esset, Auctor quoque vitæ sancti Fulgentii cap. 28. testatur à sancto Fulgentio refutatos libros duos Fausti de gratia & libero arbitrio. Et Petrus Diaconus in libro de incarnatione & gratia Christi cap. vlt. anathema dicit libris Fausti. Hæc admonere volui propter aliquos, qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt.

*De Aenea Gazeo. 490.*

**A**eneas Gazeus vir doctissimus scripsit dialogum insignem de animæ immortalitate, & corporum resurrectione, quem inscripsit Theophrastum, quia persona



sona principalis in dialogo nominatur Theophrastus: ætatem suam ipse aperit in extremo dialogo, ubi dicit, se vidisse sanctos illos, qui in persecutione Vandalica abscissis linguis optime loquebantur: hoc autem contigisse imperante Zenone, notum est ex Victore Vticensi de persecutione Vandalica.

*De Cereali. 490.*

**C**erealis Episcopus Africanus, scripsit contra Maximinum Episcopum Arianum librum de fide, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. editionis secundæ, cuius meminit Gennadius Massiliensis.

*De sancto Victore Vticensi. 490.*

**S**anctus Victor Vticensis Episcopus scripsit libros tres de persecutione Vandalica lectu dignissimos ob insignium Martyrum fortitudinem, qui in ea persecutione claruerunt. Vixit autem ipse regnante Zenone Imperatore, ut ipse testatur lib. 3. de persecutione Vandalica, id est, circa annum Domini 490.

*De Gennadio Massiliensi. 490.*

**G**ennadius Massiliensis presbyter, & postea Episcopus vixit tempore Gelasii Papæ, circa annum Dom. 490. nam ad ipsum Gelasium misisse librum suum de fide testatur ipse Gennadius in extremo libro suo de viris illustribus, quamvis non in omnibus codicibus liber Gennadii inueniatur completus.

Scripsit librum de Ecclesiasticis dogmatibus, qui extat inter libros sancti Augustini, & hic esse creditur liber, quem ipse misit ad Gelasium.

Scripsit etiam librum de viris illustribus, in quo suspicionem non parvam reliquit suæ non rectæ fidei. Laudauit enim Cassianum & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt, & S. Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissime dimicauit.

Scripsit præterea multa alia, quæ ipse commemorat in

extremo



extremo libro de viris illustribus sed ea non extant, aut certe ad manus meas non venerunt.

*De Pomerio. 490.*

**P**omerius alias Iulianus Pomerius presbyter vivebat cum Gennadius catalogum suum scriberet : scripsit autem per modum dialogi libros octo de natura animæ, qui videntur excepti ex libris octo Gregorii Nysseni, de Philosophia, siue potius Nemesii philosophi de anima: scripsit etiam prognosticon tribus libris comprehensum, sed diuersum ab eo, quod diu postea scripsit sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, vide Card. Baronium in notis Martyrologii, die 8. Martii.

*De S. Gelasio Papa. 492.*

**S**anctus Gelasius Papa primus sedit in apostolica Sede sub anno Domini quadringentesimo nonagesimo secundo vsque ad annum quadringentesimum nonagesimum sextum. Scripsit epistolas aliquot insignes ad Imp. & alios, quæ extant. Scripsit tomum de vinculo anathematis, qui extat inter epistolas eius decretales. Scripsit etiam librum contra Pelagianos, qui extat inter quintam, & sextam epistolam, in editione Romana. Scripsit etiam hymnos Ecclesiasticos ad imitationem sancti Ambrosii & libros quinque contra Nestorium, & Eutychem teste Anastasio Bibliothecario, in vita sancti Gelasii. De hoc opere dubitatio existit, an extet, vel perierit, circumfertur enim liber sub nomine Gelasii Papæ de duabus naturis Christi contra Eutychem, sed non videtur hic liber esse Gelasii Papæ, & multo minus esse ille, de quo loquitur Anastasius, & de quo etiam loquitur Gennadius Massiliensis in libro de viris illustribus. Non esse hunc librum Gelasii Papæ, videtur manifestum, quia in hoc libro citatur tanquam vnus ex catholicis, & sanctis Patribus Eusebius Cæsariensis, quem tamen hæreticum Arianum fuisse, & Origenis acerrimum defensorem, notum erat sancto Gelasio, qui hac de causa reprobauit opera Eusebii Cæsa-



Cæsariensis, in decreto de libris apocryphis, adde quod iste auctor, Græcus fuit, non Latinus, cum inter sanctos Patres non posuerit Hieronymum, Augustinum, Leonem, &c. Non esse hunc eundem librum eum, cuius mentio est apud Anastasium, & Gennadium, ex eo colligitur, quod Anastasius dicit opus illud Gelasii diuisum fuisse in quinque libros: Gennadius autem dicit fuisse grande volumen: hic vero vnaus est, & non magnus liber. Non desunt, qui hunc librum velint esse Gelasii Cæsariensis, cuius meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gelasio. Sed iste Gelasius ad tempora Eutychetis non peruenit, cum post ipsum defunctum fuerit Episcopus Cæsarea Paulus, & post Paulum Eulogius, antequam hæresis Eutychetis appareret, vt Cardin. Baronius demonstrat tomo sexto ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum sextum. Præterea ab eo tempore, quo scripsit sanctus Hieronymus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis quod erat annus decimus quartus Theodosii senioris vsque ad exortam hæresim Eutychetis, qui primum apparuit anno quadregesimo secundo Theodosii iunioris sunt anni paulo minus sexaginta: nam Theodosius senior superuixit tribus annis quibus si addas annos Archadii tredecim, & annos, Theodosii iunioris quadraginta duos, fient anni quinquaginta octo: neque credibile est Gelasium scripsisse contra Eutychetem ipso primo anno, quo errorem suum manifestare cœpit, sed post eius hæresim iam promulgatam, & fortasse etiam damnatam: quare credibile est eum, aut non superuixisse vsque ad hæresim Eutychetis, aut plane decrepitem fuisse, & ineptum ad scribendum, quando hæresis Eutychiana confutanda erat, non enim verisimile est, eum fuisse adolescentem, aut puerum, quando a sancto Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos numeratus est. Alii sunt qui librum istum Gennadii esse credunt, eo quod facile fuerit Gelasium pro Gennadio scribere. Sed neque hoc verisimile est, cum ipse Gennadius Catalogum librorum suorum scripserit, & hoc opus inter alios non numerauit. Cardin. Baro-  
nius



nus tomo sex Annalium ad annum Christi 496. probat satis apertis coniecturis, auctorem libri fuisse Gelasium Cyzicenum, de quo nunc dicemus.

*De Galasio Cizyceno. 495.*

**G**elasius Cyzicenus vixit tempore Basilisci Imperatoris, siue potius Tyranni, circa annum Domini 476. ut ipse testatur in præfatione librorum de actis Nicænæ Synodi. Scripsit historiam de actis Nicænæ Synodi tribus libris comprehensam, quæ nuper excusa est in primo tomo Conciliorum generalium Græce, & Latine Romæ editorum. Scripsisse etiam creditur librū de duabus naturis Christi contra Eutycherem, qui liber hæctenus est editus sub nomine Gelasi Papæ. Coniecturæ, cur auctor huius libri existimari possit Gelasius iste Cyzicenus, hæc sunt.

Prima, quod non inueniatur alius Gelasius cui liber illi tribui possit.

Secunda, quia in hoc auctore conueniunt nomen, & tempus, ut notum est.

Tertia, quia in præfatione historię de Actis Nicænæ Synodi, scribit, se disputasse cum Eutychianis.

Quarta, quia sicut Gelasius in historia Nicænæ Synodi lib. 2. mirifice laudat Eusebium Cæsariensem, eumque affirmat nunquam adhæsisse Arianis: sic etiam auctor libri de duabus naturis Christi, ponit eundem Eusebium Cæsariensem inter Sanctos, & probatissimos Patres Athanasium, Nazianzenum, & alios eiusdem gloriæ.

Quinta quia stylus est omnino similis simplex, & nudus omnibus ornamentis. Quomodo autem intelligi debeat, quod iste auctor dicit in libris de duabus naturis Christi, remanere in Eucharistia panis, & vini naturam, diximus in controuersis lib. 2. de Eucharist. cap. 17.

*De Gilda Sapiente. 495.*

**G**ilda cognomine Sapiens scripsit de excidio Britanniæ, quod incidit in annum Domini 445. Scripsit etiam



etiam reprehensionem acrem in clerum Britannia: nam propter peccata populi, & maxime propter peccata cleri iratus Deus immittit flagella huiusmodi. Extant hæc opera in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto editionis secundæ.

*De Vigilio. 495.*

**V**igilius scripsit libros quinque valde eruditos contra Nestorium, & Eutychem, pro defensione epistolæ sancti Leonis, & Concilii Chalcedonensis: ex quo coniectura est, eum vixisse tempore Zenonis, & Anastasii Imp. quo tempore Concilium Chalcedonense graviter oppugnabatur. Quis fuerit iste Vigilus, non satis constat, non enim potest esse sanctus Vigilus Episcopus Tridentinus, & Martyr. ille enim vixit tempore sancti Ambrosii, ad quem etiam est epistola eiusdem Ambrosii, & ex vita eius, quæ extat apud Lipomanum, & Surium, constat eum martyrio coronatum sub Stillicone Honorii Imperatoris Duce. Vide de hac re Cardin. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Domini 400. accuratissime differentem.

*De Paschasio Diacono Cardinali. 499.*

**P**aschasius Diaconus Cardinal. Romanæ Ecclesiæ, floruit sub Gelasio, Anastasio, & Symmacho Pontificibus Romanis: Vir fuit magnæ sanctitatis, & doctrinæ, & scripsit libros duos de Spiritu sancto, rectissimos, & valde luculentos: sic enim loquitur S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. Hi libri extant in Bibliotheca SS. Patrum tom. 9. edit. secundæ.

*De sancto Casario Arelatensi. 499.*

**S**anctus Casarius Episcopus Arelatensis vixit tempore Symmachi Papæ, & Theodorici Regis Italiae, ut in eius vita scribit Cyprianus eius discipulus, apud Surium die 27. Augusti: itaque falsum esse videtur, quod Concilium Arelatense tertium, cui præfuit sanctus Casarius celebratum sit æta. 461. id est, anno Domini 423. Sed

(vt ha.



(vt habet alia lectio) æra 492. id est, anno 454. Fallum quoq; est quod Trithemius scripsit, hunc sanctum Cæsarium floruisse anno 670. & veritas est in medio, peruenit enim ad annum 499. Extant eius homiliae 46. in Bibliotheca SS. Patrum tomo 2. edit. secundæ.

## Seculum sextum ab Anno 500. ad 600.

### De sancto Fulgentio.

SANCTUS Fulgentius Carthaginensis, Episcopus Ruspensis, vir sanctissimus, & doctissimus floruit tempore Transimundi Regis ad quem scripsit libros. Obiit anno Domini 529. vitæ suæ anno 65. Episcopatus autem 25. vt Cardin. Baronius annotat tomo 6. Annalium. Scripsit plura teste Isidoro in lib. de viris illustribus quorum multa perierunt. Extant nunc in editione Antuerpiana anni 1574.

Ad Transimundum Regem, li.	3
De Incarnatione & gratia Christi,	1
Ad Monimum,	3
Contra obiectiones Arianorum,	1
Ad Donatum.	1
Ad Eutyrium.	2
Ad Ferrandi quæstiones,	2
De fide ad Petrum, qui inter libros Augustini, habetur, de quo diximus supra,	1
Epistolæ septem satis prolixæ instar librorum,	7
Denique sermones decem variorum argumentorum, qui soli supersunt, ex multis, quos scripsisse, & habuisse dicitur.	

Edita sunt Parisiis, alia quædam opuscula de veritate prædestinationis, & de Trinitate, quæ ad manus meas non peruenerunt.

### De Andrea Episcopo Cæsarea.

ANDREAS Episcopus Cæsareæ Cappadociæ vir doctus scripsit commentaria in Apocalypsim, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo primo editionis secundæ. Quando vixerit non est omnino certū; sed hoc